


1.0
2.0
3.0
4.0
5.0
6.0
7.0
8.0
9.0
10.0
11.0
12.0
13.0
14.0
15.0
16.0



1. Haen: De haemorrhagia nasium 1711
2. Haenel: De morbis serot. 1723.
3. Hage: De Hydrophobia 1741
4. Hartmann: De purpura puerperarum 1779.
5. Hasselt: De vomitu cruento 1719
6. Heidenreich: Colica spasmodica convulsiva 1742.
7. Helwig: De vulneribus capitis. 1709
8. Helwig: Circa proscopiam. 1712
9. Henninger: De oculorum curatione. 1710
10. Henninger: Virus imminuti affectus. 1720
11. Henninger: Cephalalgia 1741
12. Hentschel: De febre ardente sive cauro 1733.
13. Hermann: Osteologia comparata 1792
14. Hermann: Circa chororeos generet, 1767
15. Hesse: De polypo nasium. 1777
16. Hesse: Partus gemellorum 1740



Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA,

De

CEPHALALGIA,

Quam

Divina Favente Gratia

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi,
atq; Excellentissimi*

DN. MARCI MAPPI,

Phil. & Med. Doct. Pathol. & Botan. Profefs. Publ.

Facultat. Med. Senioris Spectatissimi, Inclytæ

hujus Reipubl. Archiatri felicissimi,

Solenni Eruditorum examini submittit

Ejusdem Autor

JOHANNES SIGISMUNDUS HENNINGER

Durlacensis.

Ad diem 26 Mens. April M. DC. XCI.

Horis Locoq; Consuetis.

ARGENTORATI,

Sub prælo JOHANNIS PASTORII.

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Pruden-
tissimis, Maxime Reverendis, Con-
sultissimis, Experientissimis,
Spectatissimis,*

LIBERALIS LEGATI
SCHENCKBECHERIANI


Præfectis Gravissimis,

*Mecænatibus, Patronis,
æternum venerandis,*

Pagellas hæc in perpetuæ observantiæ,
ac grati animi testimonium

*Reverenter ac obsequiose
sacras esse jubet*

Joh. Sigismundus Henninger.



PROOEMIUM.



Cite sapienterque Madaurensis ille Philosophus, Apuleius, (*de dogm. Platon. p. m. 31.*) sensisse videtur, cum, *totum hominem in capite vultuque esse,* scripsit: in capite enim omnes animæ actiones principes sedem suam, tanquam in regia quadam arce col-

locarunt, sensus etiam, una cum motu, inde per univ-
 sum corpus distribuuntur. In vultu vero, qui in nullo
 animante præter hominem esse potest, animæ imagi-
 nem tanquam in speculo quodam expressam cernimus,
 & quot animi motus sunt, tot significationes & commu-
 tationes vultus efficere potest. Hinc his quidam inducti,
 ut, si quæ inter partes eminentia, unaque altera præstan-
 tior censenda, capiti principatum jure meritoque defe-
 rendum esse existimarint. Propterea Ægyptii, quo capi-
 tis divinitatem declararent, Serapidis cervici pro capite
 coelum imposuerunt; communi etiam loquendi con-
 suetudine, præcipuum quodque ac honoratissimum ca-
 put nuncupatur; veteres item per caput. (*v. Athenæus,
 Matt. 5. 35*) tanquam per partem quandam sacram jura-
 runt. Utut vero caput pars præ reliquis princeps pute-
 tur, cujus dominatui reliqua membra, tanquam Regi
 cuidam pareant, nihilominus tamen id, quod in aliis con-
 tingit, in capite quoque evenire videmus, ut quo sint
 A excel-

excelsiori loco posita, eo etiam magis variis incommodis atque periculis sint subiecta. Quot enim quæso & quantis cerebrum & caput divexantur affectibus, qui & symptomatum atrocitate ac vehementia, & maximo vitæ, quod minantur periculo, nobis terrorem merito incutere debent? Quibus omnibus recensendis, ob chartæ angustiam nunc supersedeo, solummodo in præsens præ reliquis, *dolorem capitis* adcuratius considerare placet, partim quod creberrime occurrat, & sit affectus adeo frequens, ut pro singulari & admiranda *ἐπιξία* cum Cl. *Willisio* merito habeatur, si cui caput nunquam doluerit, partim etiam, quod ex causis adeo multis, iisque diversis oriatur hic affectus, ut, si quis Medicus feliciter in ejus curatione versari velit, necessario ejus intimiorem cognitionem sibi comparare debeat. Cumque ij, qui studiis artibusque liberalibus operam suam locant, non tam ea sectari debeant, quæ nudis speculationibus animum inani delectatione demulcent, quam quæ ad humanæ vitæ usus insignem aliquam utilitatem conferre possunt, ideo etiam talem materiam seligere placuit, quæ ob partis affectæ præstantiam consideratione digna, & ob affectus frequentiam utilitate sua sese commendat, & ex qua olim in Praxi fructus aliquis redundare possit. Faxit Deus T. O. M. qui autor est Medicinæ & conservator, ut præsens tractatio vergat in nominis sui gloriam, proximique emolumentum.

Ὄνοματολογία.

C*ephalalgia*, à parte affecta & symptomate, juxta (*Galen. l. 2. Meth. Med. c. 2.*) nomen accepit: diciturque quasi ἄλγος τῆς κεφαλῆς, vox origine quidem græca, sed quæ latina civitate donata.

Vocabulum autem κεφαλή, hic non in ea sumitur significatione, qua totam illam corporis partem, quæ primæ colli vertebræ
impo.

imponitur, denotat, sed istam tantum, quæ cranii ossibus circumscribitur: reliquæ enim partes in capite dolentes, peculiare suas sortiuntur appellationes; (conf. Cels. l. 4. c. 2. p. m. 184.) eodem plane sensu, quo etiam Chirurghi capitis vulnera à reliquis faciei vulneribus distinguere solent. Ipsa quoque vox *Cephalalgia*, ὀνομασ accipitur; quandoque enim tantum pro dolore capitis levi, recenti, facileque medicamentis cedenti, sumitur, quo modo à *Cephalæa*, *Hemicrania*, & *Clavo* facile distinguitur, quandoque autem pro quocunque dolore capitis, ita ut & recensitæ species simul compræhendantur, quæ significatio est hujus loci.

Alio nomine Latinis etiam dicitur capitis dolor, Germanice, *Haupt-Weh* / *Haupt-Kopff-Schmerzen* appellatur. Hæc de nomine notasse sufficiant; nos autem, cum rebus potius, quam verbis studeamus, ad ipsam definitionem, seu si mavis descriptionem nos accingimus, quam talem damus.

Definitio.

Cephalalgia est sensatio tristes, partium capitis sensu tactu prædictarum, à solutione continui, confertim & cum impetu agente dependens.

Non est autem ut prolixè huic definitioni inhæreamus, & anxie, an ex asse Logicorum regulis satisfaciatur, disquiramus, cum definitiones Medicæ juxta Cl. Hoffmann. (inst. l. 3.) non sint ad Logicorum regulas cogendæ, sed sufficiat, si tantum Morborum naturam, ita exprimamus, ut ab omnibus intelligi possit.

Genus itaque hujus affectus est sensatio tristes (v. Rolfin. de dolor. cap. p. 51.) ut enim hæc essentiam doloris in genere determinat, ita etiam rationem formalem *Cephalalgia* in specie constituit. Estque symptoma actionis animalis sensitivæ depravatæ. (v. id. p. 53. § 6. 58.) pro morbo solutionem continui agnoscens, dum enim ipsa sentiendi actio, in tristi perceptione nimis augetur, naturalem suam, quam habere debebat, formam amittit, & hinc actio depravata commode nominatur.

Ratio autem formalis, in ipsa ista tristi sensatione potius, quam juxta quorundam sententiam, in fibrarum vellicatione, & ab objecto improportionato divulsione, consistere videtur, cum ij qui posterius statuunt, causam cum ipso effectu. (v. Strauss. Palæstr. Med.) confundant.

Subjectum ponimus capitis partes, quatenus sensu tactus præditæ sunt.

Cum vero docente *Aristotele* (2. *physic.* c. 3. t. 27.) scire sit, remper causam cognoscere, non incongrue etiam Cephalalgia *causam proximam*, quæ est continui solutio, definitioni insertam esse iudico.

Subjectum.

Præmissa definitione ordine nos ad *subjectum* accingimus, quod capitis partes *membranosas* atque *nervosas*, quatenus sensu tactus præditæ sunt esse statuimus. Quænam vero istæ sint, singulæ jam sunt recensendæ. Primo autem ipsa *cutis capitis externa* in conspectum venit, cum enim ea sit velamentum quoddam membranosum, in quod innumerae nervorum extremitates terminantur, & per id tenuissimis suis fibrillis disseminantur, simul quoque exquisitum ipsi tribuunt sensum; sequuntur inde & cætera capitis externa integumenta, *panniculus* nempe *carnosus*, cum *pericranio*, eique firmiter juncto *periostio*, quæ cum partes sint membranosæ, tenues, molles atque nervosæ, acutum obtinent sensum, omnesque injurias illis illatas facile percipiunt. Nec ipsi *musculi*, cum & hi acute sentiant, & nervos quoque, sine quibus nullus sensus vel motus esse potest, recipiant, hic sunt excludendi. Atque hæ sunt partes externæ, quæ Cephalalgia *subjectum* esse possunt, reliqua externa capitis integumenta, *pilos*, *curiculam*, *cranium* denique, quo cerebrum veluti lapideo quodam muro cingitur, cum sint partes omnis sensus expertes, pro *subjecto* non agnoscimus.

Ex internis capitis partibus statim se præcipuum offert *subjectum*, & quod ut plurimum in internis & vehementibus capitis doloribus afficitur, Membrana nimirum ista, quæ *crassa Meninx* Græcis, Arabibus *dura Mater* appellatur. Hæc enim cum vasa à nervis è cerebro prodeuntibus, præsertim vero à quinto pari *Viessano* dicto, (v. *Neurogr.* l. 1. c. 2. & 3.) plures propagines nerveas accipiat, exquisite sentit, & cum per ejus substantiam arteriarum carotidum & vertebraliurum rami innumeris & miris anfractibus oberrent, eamque rivulorum instar copiosissime irrigent, facile materia Cephalalgia producendæ apta capiti suffundi potest. *lisdem* pariter injuriis sustinendis *subjecta* est altera huic substrata mem-

ta membrana, *Meninx tenuis*, & *pia Mater* dicta, universum cerebrum, ejusque gyros & anfractus proxime & immediate cingens, quæ, quod sit plurimis fibris nerveis intertexta, hujus acutissimo sensui immanes Cephalalgias adscribit *Vieussanus* (*Neurograph. l. 1. c. 5.*) Utrasque autem hasce Meninges præcipue affligi, præter hoc, quod sint partes membranosa, & copiosis arteriis irrigentur, inde quoque facile colligi potest, quod in Cephalalgia defunctorum capitibus post mortem apertis, semper labæ aliqua affectæ apparuerunt, quod facile mihi, ut credo, concedet, qui *Boneti* anatomen practicam, de Cephalalgia, *Willisij* cerebri anatomen. (c. 9.) aliorumque autorum observationes in consilium vocabit. Et quia *nervi* tunicas suas ab utraque meninge accipiunt, propterea etiam Cephalalgia sunt subjectum.

Et sic etiam partes capitis internas, quæ doloris subjectum esse possunt, enumeravimus: nam quod ad ipsam *corticalem & medullarem cerebri substantiam* attinet, eam cum nec fibras nec nervos in propria substantia possideat, etiam doloris omnis expertem esse arbitramur. Id quod ulterius non tam *Aristotelis* (*l. 2. d. P. A. c. 7. p. m. 1126.*) autoritate, & *Galenii*, (*l. 1. d. caus. sympr. c. 8.*) qui cerebrum, non ut sentiat, sed ut sentiendi vim præstet, factum esse scribit, confirmatur; (*conf. m. Diemerbr. anat. l. 3. c. 5. p. m. 500.*) quam præcipue inde, quod ipsa experientia rerum magistra, hoc probat, si quidem *Dolaus*, ut ipse testatur. (*Encycloped. Medic.*) in milite vulnerato vidit, quod Chirurgus ejus cerebri substantiam, hinc inde absque ulla tristi sensatione rimatus fuerit, cum tamen nervo vel membranis punctis insignes oriantur dolores. Quod Ampliss. atque Excell. D. Præses sequenti observatione etiam confirmat: *Memini in Centurione Brunsvvicense viro robusto admodum, cui vulnus (quo instrumenti genere haud satis scio; probabiliter tamen secundum circumstantias opinor illo, quod appellant eum Streithammer) in profunditatem cerebri erat inflictum. Chirurgum profunditatem vulneris stylo immisso monstrasse, sine ulla exacerbatione doloris. Nec enim, si quis videtur esse cerebro sensus, substantiæ ipsius tribuendum, sed potius tenui meningi, omnes ejus mæandros ubique investienti, & tenuissimæ illi membranæ ventriculos cerebri interius succingenti, (v. *Vesling. anat. p. m. 204.*) adscribendum esse existimo.*

A 3

Causa.

Causa.

Accedimus jam ad *causas*, quæ variæ admodum sunt, & multæ, quarum tamen cognitionem necessariam esse, facile inde elucet, quia morbi absque causarum cognitione, juxta *Fernelium* (*l. i. Pathol. c. ii.*) nec præcaveri, nec feliciter curari possunt. Causa igitur *immediata* dolorem producens, communi fere Medicorum consensu est *solutio continui*: Hæc enim causa doloris est propria, neque alio modo quævis intemperies, quam quod continuum solvat huc refertur: debet autem fieri cum impetu & confertim, ut objectum improportionatum violenter fibras varie divellendo, distendendo, lancinando, corrugando, spiritus animales in rapidiores & inordinatos motus, quos alij per archæi indignationem explicare nituntur, cieat, qui deinde hunc impressionis modum ipsi animæ dijudicandum deferunt. Omnia vero ea, quæ violentam unitatis solutionem inferre possunt, in *causarum mediarum* numerum referuntur; quibus non immerito *causa sine qua non*, debilis nimirum & mala cerebri constitutio, vel innata, vel de novo demum contracta, unde materiæ morbificæ facilior receptio & congestio, annumeratur.

Causæ vero mediata proximiores sunt, humores variij & vapores, qui, quomodo dolorem corpori nostro inferre possint, *Hippocrates libro d. natura humana*, (*p. m. 173.*) eleganter declarat. In genere autem notandum esse videtur, omnia quæ dolorem capiti inferre possunt, hoc facere, vel dum vasa distendunt, vel quavis incongrua & inimica qualitate partes sentientes vellunt, vel nimia sui copia gravant, vel partes antea conjunctas violenter dilacerant atque divellunt.

Ex *humoribus* autem primo loco est *sanguis*, qui etsi sit humor totum corpus vegetans, à quo omnes partes auxilium & nutrimentum accipiunt, nihilominus tamen vel si quantitate peccat, uti in plethora, & in solenni aliqua sanguinis evacuatione suppressa, observamus, vel turgescencia quadam à causis externis agitatus, vel sua sponte ob intestinos particularum motus effervescent, impetuose ad caput impellitur, vel alijs peregrinis particulis acerbis sulphureis & salinis est imprægnatus, vel denique loco peccans in parte stagnat, hujus doloris causa esse potest.

Nec

Nec minus frequenter *lympha seu serum est* in causa, quæ copiosius collecta, si se in ipsam cerebri substantiam, & ventriculos effundat, dolorem capitis gravativum infert, cujus rei exempla (*M. A. N. C. (ann. 1. obs. 69. & 127.) Riverius (cent. 1. obs. 37) Bonetus (d. Cephalal. c. 34. 35. (VVeppferus. (d. apop. p. 18. & 300.) alijque subministrant. Serum autem in cerebro facile propter ipsius humiditatem, & respectivam, ut ita loquar, frigiditatem colligi potest, quam cumulationem etiam infundibuli obstructio, catarrhorum suppressio, transpiratio poris obstructis cohibita, & diuturnus capitis dolor, liberiozem feri affluxum causans, multum juvare possunt. Atroces vero fiunt dolores, si serum sit vel biliosum vel scorbuticum, vel aliis acibus particulis exasperatum, sicuti exempla à *Willisio (c. xij.) Ballonio (Epid. & Eph. 2. p. 113.)* prolata testantur.*

*Flatus vero vel vapores etiam doloré capitis distendentem absq; gravitate inferre possunt licet id Helmontius ille per ignem Philosophus fieri posse negarit; quod tamé sæpius cōtingere Willisius (anar. cerebr. c. 8.) in cadaveribus apertis observavit, qui à ventriculo, aliisque visceribus male affectis, ad caput amandari possunt. Nec est, quod multum de viis, per quas ad caput ferantur solliciti simus, possunt enim partim per venas ad vitalis caloris fontem, inde per arterias ad caput amandari, præcipue cum non separati tantum ab humoribus, sed conjuncti etiam, & potius vapidæ & tenuissimæ sanguinis exhalationes capiti communicatæ sub vaporum nomine juxta *Rolsincium (d. dolor. cap. p. m. 87.)* intelligantur; & in ipsis quoque venis & arteriis flatus quandoque reperiri *Frommannus (d. hamorrh. Part. 1. Probl. XIX.)* exemplis in medium prolatis, probet. Nec video quid impediat, quo minus etiam cum antiquioribus statuatur, in crapula vapores à ventriculo per œsophagum ad caput delatos illud turbare posse, vel ab aliis etiam visceribus tenuissimam quandam auram, seu spiritum flatulentum, musculorum interstitia intrare, eorumque spacia inania pervadere, indeque ad caput prorepere posse, cum magis mirandas vias natura sibi quandoque quærat, & universum nostrum corpus sit. *Ἐυππῆν κ' ἔστυπνῆν*, ut ita non semper sit necessarium, in *spasmo alibi**

incep-

incepto, & hinc per nervos ad cerebrum usque continuato, cum *Cl. Willisio* causam quærere.

De *succo vero nerveo*, quem modo laudatus *Willisius*, dum vel à crasi degener, vel fœculentiis imbutus est, etiam allegat, cum iste nondum sit sufficienter demonstratus, validisque argumentis, à viris doctissimis rejectus, non est, ut hisce ulterius imoremur.

Cephalalgia etiam ex *succo nutritio*, seu alimento partis proprio vitiato & corrupto fieri potest, dum pars quocunque modo antea læsa vel debilitata, alimentum proximum non rite concoquit, sibi assimilât, & in sui substantiam convertit, sed in ichores renues atque serosos facessit, & recrementa quædam subinde, doloris causa, generantur.

Ita quoque *humores excrementitii* varii, biliosi, Melancholici, pituitosi, scorbutici, eodem modo Cephalalgiam inferre possunt.

Recentiorum autem multi, dum in causis mediatis, veterum sententiam explodentes, exponendis sunt occupati, ad *salia* sua recurrunt: ita *Paracelsus* Tartarum resolutum vel coagulatum errore trium principiorum adfert: *Quercetanus* spiritus salium resolutos, *Scheunemannus* Mercurium sublimatum accusat: *Tachenius* vero suis principijs innixus ad alcali suum & acidum confugit, ubi illo exuperante majorem effervescentiam, hoc vero abundante sanguinis coagulationem oriri tradit: *Helmontius* ad ignotam regiminis actionem confugit.

Sed cuilibet suum explicandi modum relinquimus, solummodo optantes, ut nonnulli perspicue magis loquerentur, nec veteribus statim crucem figerent, eorumque doctrinam ignominiosis nominibus exhibilarent, eos per contemptum *Humoristas* appellantes, doctrinamque de *Humoribus* tanquam figmentum, à doctrina Hippocratica longe alienum, à Galeno demum, in scholam Medicam introductum, mutuaque interpretum subscriptione cõfirmatũ, rejicerent: sed certe, dum eos *Humoristas* vocant, tantum abest, ut eos nomine ignominioso adpellent, quin potius eo Medicos sui officij, & circa quid versari debeant, admo-
neant. Cum enim Medicus sit naturæ minister, & hæc ipsa
quotidie in corpore nostro, circa humorum coctionem, perfectio-
nem

nem, sequestrationem, distributionem, exclusionem &c. variè sit occupata, imo, prout sanguis & reliqui in corpore humores sese habent, ita totum corpus sese habeat, facile inde patet, Medicum in hoc naturam sequi debere, & sicubi vitium contraxerint, eorum correctioni vel restitutioni, vel, si hoc fieri non possit, ejectioni, incumbere debere. Nec hæc sententia in Galeni cerebro demum enata, sed antiquitate in natura omnes alias antecedit. Ipse Hippocrates, ex cujus tamen libris multi sua principia, tanquam antiquissima demonstrare volunt, sanitatem & morbum in humorum potentia, eorumque varia proportione, & commoderatione consistere, pluribus in locis docet, id quod etiam Prosper Martianus, in lectione monumentorum Hippocratis versatissimus, & Wepferi eloquio, fidus interpret, (*com. in libr. d. Veter. Medic. p. 4.*) ex eo demonstrat; Accedit, quod hi ipsa salia sua, & hujusmodi alia, non alibi, quam in humoribus quaerere debeant.

Sed ne longius ac par est, his immoremur, accedamus jam ad causas mediatas remotiores, ubi primo loco sese offerunt res naturales dictæ, quo referri merentur nativa cerebri *ευαισθησία*; ubi à causa etiam levissima v. c. ex vocibus, odoribus, læduntur, qua de re ipse Galenus (*l. 3. d. loc. aff. c. 9.*) conferri potest, & Placrerus (*tom. 2. prax. c. 3.*) qui dispositionem patibilem appellat; temperamentum cerebri calidum & humidum (*Galen. d. art. med. c. 19.*) cōformatio capitis vitiosa, ut & juxta Columbū (*l. 1. anat. c. 3.*) suturarum in cranio defectus. Ut ut enim Celso (*l. 8. c. 1.*) caput sine suturis firmissimum, & à dolore tutissimum habeatur, vix tamen hoc aliter, quam de externis injurijs intelligendum, cum in his ab interclusis, qui per transpirationem exhalare debebant vaporibus, dolores facillime excitentur, unde etiam Hippocrati, (*l. d. loc. in hom. p. 402.*) isti, qui plures suturas habent, capite melius valent. Contra Lachmund M. A. N. C. (*ann. 6. & 7. obs. 184.*) aliud conformationis vitium recenset, in puella maximis & continuis capitis doloribus vexata, ubi os frontis mobile, à syn-cipite divelli se patiebatur, ita ut digitis quasi cerebrum attingi posset. Lunare tributum in quibusdam feminis, ob sanguinis turgescentiam uno alterove die Cephalalgia præcedunt.

B

Cum

Secundo, cum pro diverso sex rerum non naturalium usu, sanitas & vita vel conservetur, vel corrumpatur, ut inde Plutarchus recte dixerit, nos ex ijs mori & ægrotare, ex quibus vivimus, merito illorum indagatiōni, in quantum Cephalalgiam producere possunt, incumbimus. Faciunt autem dolorem capitis aër calidus nimis & siccus (2. Reg. 4.) sanguinem & spiritus turbando, inque majorem motum concitando. Solis æstus (v. River. Cent. 2. obs. 21.) diuturnior in radijs Solaribus mora, Ventus australis, frigidus item & hyemalis (v. 3. aph. 23.) Forest. (l. 9. obs. 6.) ob transpirationem suppressam, it. borealis (v. Barth. Act. Med. Hafn. vol. 3. obs. 66. p. 108.) nec non Lunæ radij, qui qualem effectum in hæc inferiora habeant, apud Cl. Wepferum, (exerc. d. loc. aff. in apopl. p. m. 260.) videri potest. Huc autem non incommode referri possunt ea, quæ una cum aëre per os & nares inspirantur, inque corpus recipiuntur, suntque odores rerum calidarum, aromatum, (5. aph. 28.) & in quibusdam, præcipue mulieribus, odor Moschi, ambrae, rosarum &c. odores item cujuscunque rei graveolentes, fumus carbonum incensorum, candelæ extinctæ, (vid. Amman. Medic. Critic. cas. 59.) vapores rerum fermentescentium, ut & calcis vivæ recenter parietibus illitæ, suo inspiratu atroces Cephalalgias inducere possunt.

Cibus & potus suum symbolum etiam hic conferunt, pertinetque huc victus plenus & lautus, cibi copiose nimis & frequenter ingesti, cibi calidi, multis aromatibus conditi, lac & lacticia quævis (5. aph. 64.) it. alia, quæ vapores copiose ad caput transmittere possunt, qualia e. c. sunt ervum, cannabis & coriandri non correcti semen. Præcipue vero, præter alios plures morbos, Cephalalgiam pro præmio reportant Ebriosi,

Qui se cervice supinant
& fundo ex imo bræbita pocla bibunt,

Quæ cum Rolfincio merito duplex statuitur, una recens, quæ ex calido & subtili vapore vini recenter poti; altera vero, quæ discussis partibus spirituosiss, à cruditate ex hesternâ potatione contracta, oritur; ita immanem ex ebrietate Cephalalgiam

Time.

Timeus (l. I. cas. 5.) imo Meningum inflammationem, & inde subsecutam syderationem *Henricus ab Heer* (obs. Med. XVII.) notarunt. Difficilius autem ea, quæ ex nimio cerevisiæ potu contrahitur, quam quæ ex vini potu oritur, discutitur. Huc etiam referendi, varij generis, ab ingeniosa gula excogitati, liquores inebriantes, palato quidem grati & accepti, sed frequentius & copiosius, ac decet, assumti, caput mirum in modum vexantes atq; debilitantes, nec minus spiritus per fermentationem parati, Aquæ Apoplecticæ, Elixiria & Aquæ vitæ, quæ sæpius intempestivo sui usu aquæ mortis evadunt. (conf. *Wepfer*. l. c. p. 225.)

Somnus & vigilia utraque modum excedentia mala, in specie vero somnus meridianus, à multis tamen, quam par est, acerbius traductus, in non assuetis dolorem capitis, (v. *Schol. Salern.*) creare potest, sicut etiam vigiliæ nimis protractæ, doloris hujus autores esse possunt. *Motus & quies* etiam aliquid hic conferunt, ita qui comedit copiosius, nisi etiam laboribus utatur, capite valere non potest; nimia vero exercitatione, (v. *Forest.* l. 9. obs. 4.) & violenta, præcipue in dispositis, caput quoque lædi solet.

Quoad *excreta & retenta*, causa esse possunt alvus sicca, (v. *Hippocr.* d. loc. in hom. p. m. 399.) excretio aliqua solennis per os, nares, uterum, hæmorrhoides, vesicam &c. suppressa.

Animi pathemata, sicut magnam vim in alijs morbis excitandis habent, ita etiam hic suam efficaciam ostendunt; præcipue vero ira hic tyrannidem suam exercet (v. *Zyving. Sich. und Gesch. Arkt.* p. 474. *Illmer. M. A. N. C. ann. 1. obs. 68. Rollfinc.* p. 104.) ut & terror, maxime subitaneus, tristitia, mæror, timor, animi nimia in rem aliquam intentio, studiorum continuatio, & lucubrations in seram usque noctem protractæ, ut adeo isti, qui sibi tam diligenter ab his cavent, merito sanitatis studiosi esse videantur.

His annexa sunt medicamenta nimis calida, Veneris usus nimius, cerebro & nervis tantopere inimicus (v. *Bonet.* e. 73.) balnea calida nimis, frigida item, præcipue post insolationem corporis & excandescentiam. Inunctiones quoque Mercuriales ineptè institutæ, atroces capitis dolores, à Mercurio nervis infesto ibi hærente, produciunt. (v. *Poter. Cent.* 3. c. 6. &

River. C. 2 obs. 91.) ut quandoque post mortem capitis ossium cavitates argento vivo scaterere fuerint deprehensæ. (*v. Bonet c. 67.*). sic sæpe aurifabri vel alij, qui sæpius Mercurium tractant, aut fumum ejus naribus excipiunt, tali dolore corripiuntur.

Ex *Rerum præternaturalium* censu magnus sese numerus offert; Producere enim Cephalalgiam potest, quivis à naturali cerebri temperie in primis qualitatibus recessus; sive ista intemperies calida sit, sive frigida, humida seu sicca, idque eo magis, quo magis à crasi naturali recedit. In febrium autem paroxysmis communissimum est hoc malum; sanguis enim effervescentes vasa valde distendendo, copiose cerebro suffunditur, vapores etiam ex materia febrilis commotione ad caput delati, sero etiam acri quandoque non excluso, nerveas membranarum fibras irritando hoc efficere possunt. Nec minus isti, qui ab imparis scortis, & prostibulis triobolaribus, luem veneream pro suæ libidinis præmio reportant, sæpissime atrocissimis capitis doloribus præcipue nocturnis, impudentiæ suæ, & effrænatae voluptatis pœnas sustinere coguntur; qui oriuntur, dum venenum venereum, & humores acres maligni, cerebrum & meninges rodunt, ipsum harum partium proximum nutrimentum corrumpunt, quod in liquorem acrem & corrosivum degenerans, partes proximas invadit, cranium ipsum carie exedit, ita ut quandoque ex cranio carioso partes frustulatim secedant, meninges & cerebrum ipsum ab humoribus putrilaginosi corrumpantur, & sic miserrime quamdiu adhuc superstites sunt, diris doloribus excrucientur. Cujus rei illustria exempla *Hildanus (cent. 2. obs. 69.) Botallus (l. d. lue. ven. c. 16. §. 17.) Bonetus (c. 8. & XI.)* alijque passim ostendunt. Imo quandoque licet lues venerea prorsus curata videatur, tamen hi dolores interdum ab humoris maligni reliquijs ex insidijs quasi revertuntur, ægrumque miris modis cruciantes, ad interitum tandem deducunt, sicut tale exemplum elegantiss. *Fernelius (l. d. lue ven. c. 6.)* in medium profert, & aliud magis mirandum, *Bonetus (c. 73.)* de quodam, cui à diuturna lue cerebrum pene totum consumatum repertum est. Hæc atque talia sunt ista brabea, quæ impuræ veneris proci, seu potius

tius

tius porci, præter iram & comminationem divinam, in corpore suo, ab hac spurcitie, obtinere solent. Præterea huc omnis contitui solutio, à causa externa violenta capiti illata, refertur, uti sunt casus (v. *Bonet. c. 7.*) & ex hoc sanguis extravasatus (*id. c. 75.*) ictus, contusio, vulnus, (*id. c. 12.*). Gravis ponderis in capite gestatio (*Rolf. d. dolor. cap. p. m. 107.*) cranij depressio (*Bonet. c. 13.*) fovea, & si quæ sunt alia, ubi plerumque post insignem læsionem capitis, licet curatam, contumaces tamen Cephalalgia subinde, ob contractam partis debilitatem, a causa levissima, recurrere solent. Ut vero fit in cranio solutio continui à causa externa, ita etiam à causis internis ea quandoque fieri potest, cum varij generis humores sese partibus insinuando, vel ob plenitudinem copiosius congesti, distendendo, suturas cranij à se invicem discedere faciunt, ita ut interdum magno spacio juncturae solvantur, sicut id *Fontanus & Arnoldus Boetius* demonstrant, qua de re etiam *Ettm.* (*Prax. p. m. 345.*) *Hildan.* (*Cent. 2. obs. 8.*) *Piso* (*obs. 2.*) conferri possunt. Quemadmodum autem à continui solutione, ita etiam à coalitu meningum, & hinc impedita libera sanguinis circulatione, dolorem capitis ortum esse *Willis* (*anat. Cerebr. c. 9.*) aliquoties in defunctorum capitibus observavit. Meningum & cerebri syderatio seu inflammatio, sicut periculi plena, ita insignes dolores capiti inducit, quæ tamen etiam diuturnis capitis doloribus ex alia causa contractis, dum ob insignes dolores ad partem affectam major fit sanguinis affluxus, supervenire potest, quod & ipsa *ἀντιψία* demonstrat, dum *Ballonius* (*hist. 4. l. 2. consil.*) plurimorum Medicorum observatione, syderationem, ipsis Cerebri meningibus post diuturnos capitis dolores evenisse, testatur, & cujus rei exempla passim apud *Bonetum*, (*nominatim c. 41. & c. 42.*) videri possunt. Quandoque abscessus, & puris in capite collectio, malum hoc inferunt, sicuti *Boetius*, (*d. aff. omiff. c. 1. & 2.*) *Bonerus* (*c. 49. & seqq.*) plura ejusmodi profert; fit etiam si pus post vulnera supra cerebrum & meninges effusum, relinquatur, nec debito modo evacuetur, (*conf. Agricol. chir. Parv. p. 90.*) sic in dolore capitis saniem inter pericranium & cranium sæpe subesse *Holle-*

rius (*libello obs. 1.*) monuit. Nec minus quoque pus ab alijs partibus ad Caput amandari potest, sicuti *Ambros. Paræus* raptum puris ad cerebrum in pleuritide & peripneumonia observavit. Tumores & excrescentiæ variij generis malum hoc inferunt, ita à tumore scirrroso tenuis meningis, *Hildannus* (*cent. 1. obs. 71.*) à tumore in substantia cerebri, juxta processum mammillarem enato *Bonet.* (*c. 53.*) ab hydatibus juxta temporales arterias, à tumore globoso, & à substantia callosa in cerebro idem, (*in cap. seqq.*) Cephalalgias enatas tradidit.

Quin imores *toto genere præter naturam*, de quibus homine vivente vix conjectura fieri poterat, doloris capitis causæ in aperis cadaveribus repertæ fuerunt; sic plures autorum observationes prostant, calculos & lapillos huic malo originem dedisse, quod apud sæpius jam laudatum *Bonetum*, exemplis ex *Cattiero*, *Schenckio*, *Borello*, (*c. 15.*) *Hildano*, *Hollerio*, (*c. 33.*) *Kentmanno*. (*59.*) prolatis, item in *M. A. N. C.* (*ann. 1. obs. 127. & Dec. 2. ann. 1. obs. 131.*) & apud *Kerckringium*, (*spicileg anat. obs. 35.*) *Zodiac. Medic. Gallic.* (*ann. 1. obs. 14.*) aliosque videri potest. Quamvis non immerito dubitare liceat, an non ista corpora in capite reperta, ad ossiculorum potius quam calculorum classem, si adcuratius examen fuisset institutum referenda forent, præcipue cum ossium in mēbranis imprimis cerebri generationem, non adeo difficilem ac lapidū esse, *Excell. atq; Experient. D. Scheid. in disput. de duobus ossiculis in cerebro humano mulieris apoplexia extincta repertis* firmis rationū momentis, ipsaque experientia stabilitis, demonstrat. Sic etiam *Willis* (*anat. cerebr. c. 7.*) hemicraniam sinistri lateris ob arteriam carotidem dextram osseam factam observavit.

Pariter & animalia vel in ipso cerebro genita, vel externe irrepentia, sua rosione & commotione dolorem efficere possunt. Ita vermes aliquando in lue Hungarica per nares cum ægroti euphoria excretos fuisse *Schenckius* (*obs. l. 1.*) testatur, & in morbo quodam velut Epidemico, cum vertigine affligente, solumque caput tentante, vermem in anfractibus cerebri latentem, *Garnerius apud Bonetum* (*c. 61.*) observavit, plura hujus rei exempla ulterius apud *Bartholinum* (*cent. 1. hist. 64. & Cent. 6. hist.*)

bist. 3.) *Fernelium* (*pathol. l. 5. c. 7.*) *Benivenium* (*c. 100.*) *Rolfincium* (*de dolor. capit. p. m. 106.*) *M. A. N. C.* (*an. 7. obs. 50. it. Dec. 2. ann. 1. obs. 99.*) *Tulpium* (*l. 4. obs. 11.*) *Bonerum* (*c. 62. 63. 64.*) evolui possunt. Quamvis vermes in capite generari posse, plures nominatim vero *Hieronimus Mercurialis*, & *Fulvius Angelinus* contra *Vincentium Alfarium* negarit, sicut hos *Smidius M. A. N. C.* (*ann. 9. & 10. p. 127. in Schol. 9.*) brevibus allegat Hoc tamen fieri posse, plane negandum esse non videtur, licet enim saepius externe animalia talia per aures in caput irrepere possint, quemadmodum id exemplis à *Volckamero M. A. N. C.* (*ann. 3. obs. 266.*) *Antonio d. Pozzì* (*ijsd. ann. 4. & 5. obs. 37*) & à *Salmuth.* (*cent. 2. obs. 37.*) in medium prolatis abunde constat, cum tamen in varijs corporis nostri partibus, vermes generari posse observationum scriptores satis testentur, non video, quid obstet, quo minus etiam cerebrum pro idoneo subjecto, praecipue cum ipsa experientia clare hoc monstret, agnoscamus: sive veterum principijs innixi, generationem aequivocam statuamus, sive recentiorum quorundam hypothesein secuti, eiusmodi animalcula non nisi ex praexistente seminio generari posse credamus. Non immerito tamen illa *Hollerij* (*l. 1. d. Morb. intern. c. 1.*) historia in dubium vocatur, quando ex solo Basilici odoratu, scorpionum in cerebro Itali cuiusdam productum esse scribit.

Non infrequens etiam est dolor capitis in coryza incipiente, tum enim ex nimia feri collecti copia, indeque caput gravante, fere contingere solet. Tussis item nimia, caput vehementi ista commotione concutiendo, eum quoque efficere solet. Dolet quoque caput ex Pleuritide, Peripneumonia, aliorumque viscerum inflammationibus, sicut non minus, ex inferiorum viscerum obstructionibus, idem contingere potest. Quomodo vero à solenni aliqua sanguinis evacuatione suppressa, vitio ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, uteri, renum contingat, in differentiarum causis enarrabimus. Frequentissime vero cum scorbuto est conjunctus, adeo ut multi potissimum hoc affectu virus scorbuticum luant, qua de re *Willis.* (*d. scorbut. c. 4.*) conferri meretur. Atroces quoque dolores interdum tineam & scabiem repercussam insequuntur; ut enim
ulcera

ulcera in capite, vel circa aures, vel in reliquo corpore emanantia juxta Hippocratem, (libr. d. morb. sacr.) ab epilepsia, & à dolore capitis, experientia Tulpj (l. 1. obs. 32.) liberant ita eadem medicamentis repercutientibus, vulgo dictis, & frigidis intempestive sanata & occlusa, retentis hoc modo vitiosis excernendis naturæ molestis, Cephalalgias immanes, imo ipsam mortem attulisse, historiæ apud Borellum (cent. 1. hist. 37.) & Diemerbræck, (obs. 60.) testantur, sicuti quævis etiam transpirabilia retenta, dolorem capiti inferre possunt.

Differentia.

Pergimus jam ad *differentias*, quæ pro varia consideratione mirum in modum quoque variant. Præcipuæ autem sequentes esse videntur. Primo, ratione *partis affectæ* alia est *Universalis*, universum occupans caput, alia vero *particularis*, cum vitium tantum in determinata aliqua capitis parte hæret, quæ itidem pro loci diversitate est diversa, vel enim dimidium tantum caput afficit, ita ut altera medietas sit indolens, tunc speciali nomine *Hemicrania* appellatur, vel dolor parvo spatio circumscriptus uni loco ita pertinaciter insidet, ac si clavo ibidem esset affixus, & hinc *Clavus* etiam nominatur; vel vnica pars inter suturam sagittalem & temporalem afficitur, & à magnitudine loci dolentis *Ovum* dicitur: modo est vagus, in nullo determinate loco permanens, dum jam hæc, jam illa capitis pars dolet: interdum anterior, interdum posterior tantum dolet; sic & quandoque externæ solum, quandoque vero internæ tantum tristem hanc sensationem percipiunt.

Ipsius *doloris* ratione Cephalalgia multum à se invicem differt, vel enim dolor est acutus & pungitivus, vel obtusus, lenis vel vehemens, pulsatorius, punctorius, rodens, lancinans, vellicans, gravativus, tensivus, formicans, qui omnes malum hoc pro sua diversitate vel tolerabile magis, vel gravius reddunt.

Nec ista differentia est negligenda, quæ à tempore desumitur, vel enim dolor est *brevis* s. recens, speciali nomine *Cephalalgia*, & à Cl. Willisio *accidentalis* s. occasionalis dicitur, vel

dicitur-

diuturnus & *inveteratus Cephalæa* alijs, quem egregie *Galenus*, (*v. Rolfinc. p. 45.*) describit, & *Willisio* dolor *habitualis* dictus, In *habitualibus* autem istis *Cephalalgijis*, semper fere partis affectæ debilis constitutio observatur, sicut id *Bonetus*, (*c. 47.*) ex *Riolano* & *Pavvio* probat. Ad hunc non immerito *hereditarium* referendum esse censemus, dum à parentibus in ipsos liberos morbi seminium transfertur, qui ut paternorum bonorum, sic & sæpe paternorum morborum hæredes fiunt. *Alia* ratione temporis est differentia, dum vel certis & statis temporum interval-
lis dolor recurrit, vel vage, nullo determinato tempore ægrum invadit. *Tertia* à tempore differentia inde desumitur cum dolor observatur vel continuus, absq; ulla intermissione ægrotū crudeliter excrucians, vel intermittens, quando ad aliquod quidem tempus inducias dat, postmodum tamen ingratus iste hospes revertitur.

Porro ratione *causarum* est vel *idiopathicus*, seu per *essentiam*, cum ipsius capitis vitio, causa ibi genita dolor procreatur, vel *sympathicus*, seu per *consensum*, dum causa alibi genita, aliarum partium vitio caput dolet.

Nec ista sicco pede prætereunda, cum alia *Ceph. Critica* alia vero *Symptomata* vocatur; illa enim tunc ægrotos affligere solet, cum maxima est inter naturam & morbum pugna, ubi ab insigni *Massæ Sanguineæ* turbatione & ebullitione, quando natura causam morbificam vi quasi eijcere tentat, vasa insigniter distendantur, & quam plerumque manifesta aliqua excretio cum insigni *ευφορία* subsequi solet. Hæc vero fit, cum, relicto priori foco, materia vel per *μεταστάσιν* vel per *ἐπιπέσειν* ad cerebrum cum ægroti detrimento transfertur.

Alia item *Cephalalgia* ab *humore prædominante*, sanguinea, biliosa, pituitosa, *Melancholica* audit. Alia demum est *simplex*, cum nulli morbo est conjuncta, vel *composita*, quando cum alijs morbis complicatur; ita cum febribus, quæ modo eum præcedunt, modo sequuntur, scorbuto, odontalgia, alijsque morbis simul jungi, toto die observatur.

Atque hæc sunt differentia, quarum præcipuarum rationes, cum non leve momentum, tum ad prognosin, tum ad ipsam

C

curatio-

curationem conferant, paulo attentius illas indagare, haud inutile fore confido. Et quidem Cephalalgia *universalis*, tum praecipue oritur, cum vitium per arterias in caput aequaliter distribuitur, quod tum fere contingit, cum mali origo in ipsa Massa sanguinea haeret, sicut id in febribus, scorbuto, dolore capitis critico videmus, ite cum a causa externa, aere calidiore, crapula, malum hoc excitatur.

In *Hemicrania* autem, cujus illustria exempla *Hildanus* (*cent. 4. obs. 6.*) *Willis* (*anat. cerebr.*) *Bartholinus*, (*M. A. N. C. ann. 1. obs. 51.*) alijque producant, quare praecise dimidia capitis pars, illaesa altera, afficiatur, difficilius est indagatu. Nam quando eam non nisi per consensum fieri dicunt, ita ut prout pars a qua fit consensus dextra vel sinistra fuerit, dolor etiam magis hanc vel illam occupet partem, licet concedamus, dextra cum dextris consentire, rem id totam tamen nondum exhaustire videtur; si enim labes ex viscere affecto sanguini communicatur, ille ad cor redux, a corde per arterias carotides & cervicales promiscue in caput universum distribuitur, ita ut nulla sufficiens ratio dari possit, quare labes uni lateri magis quam alteri affricetur; si vero vaporibus ascendentibus, & ita lateris istius membranas ferentibus causam adscribamus, sicut hanc non rejicimus, ita semper horum vitio, praesertim in hemicrania diuturna, (ita Cephalaeam ratione temporis, Hemicraniam ratione situs *Sylvaticus cons. & respons. cent. 1. cons. 31. affert.*) haud adeo probabile esse puto. Rectius mea sententia facere videntur, qui hemicraniam non tam per consensum aliarum partium, quam proprio & domestico membranarum vitio fieri censent, ita ut una pars debilis magis sit, quam altera, vel materia tantum in una parte collecta ob conformationis, vel aliud quodcunque vitium haereat, id quod a sero intra Meninges collecto, (*v. Cumenus M. A. N. C. ann. 3. obs. 184.*) sanguine in aliquam partem extravasato, vel alicubi stagnante, abscessu &c. facile fieri potest. Quod vero dolor alteri parti non simul communicatur, ratio videtur esse, quod Meninges in cerebro, in duas veluti partes per mediam calvariae longitudinem diremptae sint, id quod etiam *Hippocrates* (*l. d. morb. sacr. p. m. 287.*) pro vera causa jam agnovit. Accedit, quod utrumque cerebri latus, iterum in duas partes dividatur, ut sic
cere-

cerebrum veluti castellum in plures arces seu propugnacula divi-
sum, eo munitius & expugnatu difficilior, juxta *Cl. Willis* (*pa-
thol. cerebr. c. 10.*) existat. Contingit etiam Hemicrania, cum
pars aliqua cerebro proxima male se habet, ita odontalgia (*v.
Thiermaj. conf. l. 2. p. 128. Hildan. c. 2. obs. 10.*) otalgia, sæpe he-
micraniam jnnctam videmus. Cujus rei causa non immerito in
consensu continuitatis ponitur, (*v. Diemerbr. disput. practic. histor.
22. §. 5.*) dum fibrarum nervearum leves constrictiones, hoc
modo usque ad capitis interiora extenduntur, quod his verbis ple-
rumque exprimunt, *der Schmerzen ziehet sich bis in das Hirn
hinauff/ & sic sanguinis & lymphæ propter dolorem ad partem
affectam liberius affluentis recursus impeditur, inde necessario
stagnans inflammatoriã quandam dispositionem infert, arteriã in-
signiter distentã vehementer, ob liberius denegatum spacium pul-
sant, & malum quandoque in tumorem genæ cum dolore ten-
sivo & pulsatorio terminatur. Ita etiam ad oculorum dolores,
itidem ob consensum continuitatis, quia eorum tunica, à me-
ningibus oriuntur, accedit.*

Dolorantem iste, quem *Clavum* appellant, cujusque exem-
pla apud *Welschium*, (*Mistomim. Cent. 2. 33.*) *Muys.* (*Prax. Chi-
rurg.*) *Hugonem*, (*consil. 5. p. 7.*) *Poterium*, (*cent. 3. c. 3.*) videri pos-
sunt, tum fere ortum habere videtur, cum particula salinæ acres,
fibris nerveis firmiter impactæ hærent, vel humores cortosivi ex-
travasati, & parvo quodam spacio collecti ibi delitescerent atq;
stagnantes, rodendo & vellicando dolorem hunc inferunt. Cla-
vi etiam hysterici mentionem facit *Th. Sydenham* (*dissert. episto-
lar. d. aff. hyster. p. m. 87.*) qui exteriorem tantum capitis par-
tem occupet, pericranium inter craniumque, in quadam tantum
particula, quæ transverso pollice contegi posset jugiter defixum,
an vero causa ista, quam (*p. 107.*) allegat, cum eam in concen-
tratione spirituum animalium quærit, qui inde resilientes in ce-
rebrum, dolorem talem terebrantem inferunt, pro vera sit ag-
noscenda, res dubia mihi valde videtur. Ovum autem non a-
liter à Clavo differt, nisi quod in illo dolor latius aliquantum,
quam in hoc se extendere observetur.

Doloris autem *varietas* tum ex ipsius subjecti, tum ex
objecti

objecti impropotionati in subjectum agentis varietate dependet. *Acutus* enim, à particulis acribus, aculeatis, membranas pungentibus, proficiscitur; *pulsatorius* in inflammationibus, sanguinis turgescencia, atque febrili ebullitione contingit, dum ob liberius denegatum spacium arteriæ à sanguine impetuosiùs impellente dilatantur, & quovis pulsu dolorem parti inducunt, (*exempl. vid. ap. Barth. hist. an. rar. Cent. 1. hist. 18. & Act. Hafn. vol. 5. obs. 62.*) *Rodens* vero, lancinans & vellicans, ab acribus, falsis, acidis, scorbuticis humoribus ortum trahit. *Gravativus* autem à materiæ copia, in parte minus sensibili collecta, insipida, nullisque particulis acribus exasperata, exoritur. *Ardens* denique, à biliosis s. sulphureis exaltatis, it. juxta quosdam acidis volatilibus particulis, membranas afficientibus, producit. *Tensivus* autem contingit, dum vapores seu materia flatulenta, intra membranas collecta, eas distendendo à se invicem separat.

Quare vero *Periodicus* dolor ita stato tempore recurat, causa videtur admodum obscura, licet de re ipsa non sit, quod dubitemus, cum plura & mira eius exempla apud autores passim reperiantur. Ita *Schenckius* (*lib. 1. obs. 48.*) meminit periodici meridiani, *M. A. N. C.* (*ann. 2. obs. 247.*) cuiusdam singulis auroris recurrentis, *Daniel Ludovici* (*ann. 3. obs. 252.*) doloris superciliaris acerbissimi, qui vel à septima ad duodecimam, vel à nona ad secundam extendebatur. Singulare vero est, quod recenset *Langelott.* (*M. A. N. C. ann. 6. & 7. obs. 8.*) de dolore capitis in duobus, qui intra ipsum fere temporis momentum, quo sol oriebatur incipiebat, cum in summo cœli vertice consistebat, dolor quoque summus erat, sole autem occidente, dolor quoque cessabat; è contra *Schenckius* (*l. 1. c. 47. 48.*) Cephalalgias Lunæ phases & periodos observantes refert. plura non minus miranda exempla *Schulzius* *M. A. N. C.* (*ann. 6. & 7. obs. 173.*) *Tulpius*, (*l. 1. obs. 13.*) *Binningerus* (*cent. 3. obs. 74.*) *Crato* (*conf. 26. l. 3.*) *Bartholinus* (*M. A. N. C. ann. 1. obs. 51.*) *Rolsincius* (*d. dolor. capit. p. m. III.*) suppeditabunt. Utinam autem tam certi de causa, ac de re ipsa sumus, essemus; nam quando laudatus modo *Bartholinus*, causam (*l. c.*) in sanguinis & lymphæ per circulationem eo tempore ad certum locum recursu, qui sua acrimonia

monia partem quocunque vitio debilem, vellicat, quarendam esse conjicit, cum illud quod in quaestione est, pro causa ipsa alleget, rem non exhaurire, facile patet. Nec isti qui ex astris & siderum conjunctionibus rem explicare satagunt, cum & istorum rationes facili negotio revelli possint, nos ad intimiorem rei cognitionem deducunt. Quare cum res tam intricata & difficilis sit, nec causae à viris etiam doctissimis prolatae, animum veritatis avidum exsatiare possint, lubens hic meam ignorantiam profiteor, veram & adequatam causam, à quocunque, si dare potest, grato animo discere paratissimus. Interim quas causas Cartesiani, qui se omnium phaenomenon ex suis hypotesibus rationes & causas dare posse gloriantur, de dolore capitis periodico proferant, apud Cartesium de Homine, cum notis de la Forge videri possunt.

Sympathicus dolor, qui frequenter admodum, ob capitis situm sublimem contingit, omnium fere infra subjectorum viscerum vitio oriri potest: *foeculentiae* enim peregrinae, capiti & nervoso generi inimicae, in parte aliqua collectae, & ad plenitudinem aggestae, sanguini, eas continuo alluenti, miasma peregrinum communicant, quo sanguis infectus, dum vel impetuose effervescit, turgescencia sua, vel dum partes ipsas incongruas capiti suffundit, peregrina qualitate, dolorum paroxismos acerbos producit.

Fit autem vel ex totius corporis consensu, sicut id in febris videmus, vel determinata alicuius partis vitio: ita saepius ventriculus istas turbas capiti ciet, (*conf. Forest. l. 8. obs. 46. l. 9. obs. 44. & 45. Thener. l. 3. obs. 2. p. 121. Borell. Cent. 2. obs. 1. Cratol. 5. Conf. 1.*) dum vel chylus in eo corrumpitur, vel ex cruditate varij pravi humores, acidi, nidorosi &c. inibi generantur, vel biliosi humores copiosius affluunt, qui in sanguinem delati, per arterias capiti suffusi, has in eo molestias producant; fit etiam, dum orificium ventriculi sinistrum, sensibile ad modum, nervisque copiosissimis instructum, ab humoribus acerbis irritatum, ob generis societatem, intercedente nervorum conjugio cerebrum in consensum trahit, sic quoque vapores varij & flatus, à crapula, ebrietate, cruditate procedentes, indeque exhalantes, caput turbando dolorem inducunt. Similiter ventriculi appendices intestina, (*v. Forest. l. 9. obs. 47. & 50.*) & eorum quandoque incolae vermes. (*v. Etm.*



Prax. p. m. 343.) Hæmorrhoides item suppressæ (v. Fromman. d. hæmorrh. Part. 1. probl. X.) subinde contumaces Cephalalgias producere possunt. Non minus quoque ex hepate, (v. Forest. l. 9. obs. 48.) liene (id. obs. 49.) recrementa biliosa, fœculentiæ atrabiliaræ, terrestres scorbuticæ, sanguini communicatæ, Cephalalgiam causantur: pariter quoque dum hæc viscera obstructa sanguini transitum non concedunt, facta ad alias partes, præcipue vero cerebrum, regurgitatione, malum hoc supervenit. Renes etiam & partes urinariæ sæpius sunt in causa: ita Bartholinus, (cent. 4. ep. 6.) in nonnullis calculosis, eiusdem lateris hemisphæricam observavit, qua parte renum calculus urinæ se opposuit; si enim *diagnos* non rite peragitur, serumque vel in renibus non recte segregatur, vel sequestratum evacuari non potest, sed in M, S. regurgitat, ut varia alia mala, ita in cerebri membranas decumbens, dolores capitis acerbos, imo Epilepsiam quandoque, affectus soporosos &c. (v. M. A. N. C. ann. 3. obs. 212.) producere potest. Uterus vero, sicut sexcentorum morborum in mulieribus causa est, ita, ut huius ratione, mulier omnem morbum his pati dicatur, sic sæpius etiam in Cephalalgia accusatur, & quemadmodum tempore fluxus menstrui instante, quædam mulieres sensum doloris in capite percipiunt, ita eodem fonte præter naturam occluso, sæpius atroci dolore Celsi teste. (l. 1. c. 7. p. m. 65.) excruciantur dum inquit: *quibus feminis menstrua non proveniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, vel qualibet alia pars morbo infestetur.* In artubus etiam quandoque ipsius mali fons reperitur, sicut id apud *Talpium* (l. 1. obs. 33.) cernere licet, ubi exempl. de dolore inter caput & pedem reciproco profert. Similiter in arthriticis, à materiæ morbificæ metastasi, acerbos capitis dolores interdum oriri, observationum scriptores abunde testantur.

Signa Diagnostica.

Cum Medicus tantum curet, quantum cognoscit, & non intellecti nulla sit curatio morbi, jam ad signa, quibus tum affectus ipse cognosci, tum ex qua causa oriatur, & quænam pars sit affecta, dijudicari possit, accedamus. Quod itaque ad ipsum affectum attinet, iste per se satis patet, si quidem ex ægroti relatione

latione, dum de doloris in capite sensu queritur, statim innotescit: sed magis in *diagnosi causarum* occupatus quis sit oportet, si quidem causæ, harumque nexus adeo quandoque sunt intricatae, ut non, nisi magna adhibita diligentia, eas investigare possimus. De causis autem externis, ut pote per se satis manifestis, solliciti nunc non sumus: potius ad internas progrediamur. Ubi præcipue humores, & inter hos primo loco sanguis sese, offerunt. A sanguine autem ortam Cephalalgiam, indicio est, si dolor sit gravativus, distendens, & ob vasorum plenitudinem pulsans, genæ sint rubicundæ, ut & oculi, inque ijs venæ, alias inconspicuæ, appareant, insuper à sanguine esse me certiore reddi, si victus plenus & lautus præcesserit, ætas sit juvenilis, viscera optime constituta, V. S. alias consueta neglecta, vel alia solennis sanguinis evacuatio suppressa. A sero vero oriri cognoscitur, si dolor, qui percipitur est gravativus, adest veteris, & ad somnum propensio in omnibus sensuum actionibus, tarditas & segnities apparet, facies pallet, frequenter per capitis emunctoria, materia aquea vel mucus cum levamine excernitur, qua evacuatione subsistente, dolor ingravescit, (v. Th. Willis anat. cerebr. c. 12.) crebrior est recidiva; si vero serum particulis falsis, acerbis est imprægnatum, dolor est acerbus & contumax, modo sensus *φλοζώσιος*, modo vero frigoris pro diversa seri *ἀνεργία* percipitur, & si internas partes occupet, in somnum quidem propensio adest, sed ob salinarum particularum acrimoniam dormire non possunt, si vero tale serum in externis partibus sit, dolor plerumque pruriginosus, vel ulcerosus esse solet. Flatus caulam esse deprehenditur, si dolor est distendens, absque tamen gravitate, si vagus est, modo has, modo illas occupans partes. Quando vero *bilis* peccatum dolor est acerbus, mordax, vigiliæ urgent & in vehementi dolore delirium supervenit, faciei color ad citrinum vergit, os est amarum, æger iracundus, idque eo certius, si ætas juvenilis & temperies biliosa concurrant, concludo. Si est à *Melancholia*, dolor est gravativus, faciei color plumbeus & lividus, æger tristis profundis cogitationibus & miris imaginationibus inhaeret, ipsumque vitæ genus & studia aliquid huc contribuunt.

Ut vero hæc facile ex suis signis erui possunt, ita contra
diffici-



difficillime, imo plane non, an dolor à suturarum defectu, calculo, ossiculo, vermibus, scirrho &c. proveniat, cognosci posse videtur. Licet enim *Hercules Saxonia* (*Pantheil. l. i. c. 2.*) signa defectus suturarum, & præsentia vermium proponat, cum tamen ea ita sint comparata, ut ex alijs etiam causis ita se manifestare possint, facile elucet, nihil certi inde concludi posse, & sic plerumque causa eiusmodi occulta manet, nisi post mortem demum aperto cadavere *ἀνοψία* accedat.

A quamquam intemperie dolor proveniat, facile cognoscitur, si ea signa, quæ, à cujusnam humoris prædominio dolor oriatur, indicant, considerentur, simulque ætas, sexus, anni tempus, juventia & lædentia &c. in signorum censum assumantur. Porro à lue *ῥεα* Cephalalgiam esse, inde deprehenditur, quando dolor atrox, noctu præcipue ingravescit, remedijs ordinarijs non cedit; conjecturam confirmat, si spontaneæ lassitudines accedant, cruciatus maxime nocturni, in anteriore parte utriusque tibiæ sentiantur, & anteactæ vitæ ratio habeatur. A Mercurio vero in capite relicto esse, apparet, si nummus aureus, in nares intrusus, vel in ore detentus, post aliquot horas albicans a *ῥ* tinctus extrahatur, vel juxta *Rolfincium* (*d. dol. cap. p. m. 124.*) Emplastrum Cephalicum, folijs auri obductum, parti dolenti imponatur. An autem ex *consensu* aliarum partium, an vero *proprio* capitis *vicio* dolor oriatur, cum cognitio partis affectæ, juxta *Galenum*. (*l. 2. d. loc. aff. c. 9.*) & *Hippocratem*, (*d. loc. in hom.*) ad curandi rationem imprimis faciat, necessarium est indagatu. Essentialis vero dolor judicatur, ex doloris continuitate, magnitudine, si nulla labe in alijs visceribus appareat, functiones animales insigniter lædantur, & causarum antecedentium ratio habeatur. Sympathicus vero censetur, quando dolor non adeo constans est, & symptomata alicujus visceris in parte inferiore læsæ adsunt, dolorque, prout visceris illius affectus intenditur, vel remittit major fit, vel minor; ubi tamen notandum esse videtur, si caput ex aliorum viscerum consensu diutius laboret, progressu temporis, proprium per *δευτεροπάθειαν* sibi contrahere affectum. Ventriculi vitio oriri creditur, si simul nausea & vomitus adsint, æger à bilis rejectione doloris levamen percipiat, jejuno
ventri.

ventriculo affligat, repleto vero cesset vel mitigetur, si insuper anterior pars capitis afficiatur, sicuti quando fit ex hepate, dextra, ex liene sinistra, ex utero & renibus posterior potissimum capitis pars laborat, licet non tam ex doloris loco, quam ex propriis viscerum affectorum signis, principium mali investigare possimus; interim *Straussius* (*Palæstr. Medic.*) dolorem occipitis cum frigoris sensu conjunctum, de quo feminæ frequenter conqueruntur, Cephalalgia hysterica signum non adeo fallax esse, testatur, quamvis ipsa connexionis ratio haud æque appareat.

Superest jam, ut quomodo, *quenam* pars capitis affecta sit cognosci possit, disquiramus. Interiores partes affectas esse, elucet ex acerbitate doloris, si dolor ad oculorum radices usque pertingat, (*vid. River. Prax. l. I c. 16.*) crassam autem meningem affectam esse, inde conjicimus, si dolor simul, ob pericranium illi, mediantibus fibris persuturas transeuntibus, connexum, ad exteriora vergat; tenuem vero, si dolor in profundo hæreat, & cerebro immersus quasi esse videatur. In partibus exterioribus, ob partium obtusorem sensum dolor est mitior, & ad contactum seu pressionem capitis exasperatur. Dolor vero communiter in Meningibus punctorius & tensivus, in nervis & partibus nervosis convulsorius, in carne & venosis gravativus, in arteriosis pulsatorius, autorum fere consensu statuitur.

Prognosis.

Quia Medicus non tantum præsentia adcuratius inspicere debet, sed etiam prospicere circa futura, quid boni vel mali sit eventurum, eaque cognitio Medico apud ægrotantes fidem, apud adstantes auctoritatem, apud omnes gloriam conciliet; paucis etiam ea, quæ ad *prognosin* spectant, delibabimus. Et primum quidem *futuri* capitis doloris signum sunt urinæ perturbatæ, quales jumentorum esse solent, per febres excretæ: hæ enim dolorem capitis vel jam adesse, vel adfore juxta *Hippocr.* (*4. aph. 70.*) significant: de cujus rei ratione & modo *Rolsincius*, (*d. dolor. cap. p. 115.*) & *Ettmüllerus* (*Prax. cap. d. febb. in genere*) ulterius consulantur. Æstate etiam sicca & aquilonia, sequente autumno pluvioso & austrino, hyeme capitis dolores fieri, artis Medicæ Princeps. (*3. aph. 13.*) prædixit.

D

Cate-

Cæterum Cephalalgia, quæ raro per se lethalis esse solet, nisi graviores affectus ipsi demum jungantur, *facilem* curationem esse, & periculo vacare indicat, si dolor sit recens, à causa aliqua externa, v. c. crapula, vino, nimio exercitio, radijs ☉aribus &c. contractus; siquidem tum vel sponte, remota causa, vel facile, levibus remedijs adhibitis, cessare solet: sic terminus quo dolor capitis ab ebrietate solvatur apud Galenum (*com. 5. aph. 5.*) videri potest; securiores itidem nos esse jubet, si dolor exteriores occupat partes, si caput per consensum tantum, cæteris tamen paribus, laborat, & si naturæ vel ætati (*2. aph. 24.*) similis est morbus. Contra *difficilior* est curatio, si dolor est inveteratus, facili occasione revertitur, cum passione hysterica, vel hypochondriaca conjunctus, si ex contagio luis, miasma venereum in cerebro est radicum, si est à materia multa, eaque frigida, præcipue in corpore senili; qui enim est à calidis humoribus citius periodum suum absolvere solet. *Difficillime* autem, imo plane non curatur, si à conformationis vitio oritur. Quis enim e. c. suturarum defectum, etsi maxime sciret dolorem inde oriri, corrigere posset? si est à Scirrho, tumore, abscessu interiores partes occupante, si vermes, ossicula, lapides adsunt, si morbus est hæreditarius & connutritus, plerumq; per omnem vitam perseverare solet.

Salutis vero indicia sunt, si quarto die bona signa appareant; si materia morbifica per loca convenientia, cum ægroti levamine evacuetur; si pus, vel aqua, sanguis, per os, nares, vel aures effluat; tunc enim morbum, (*v. aph. 10. sect. 6.*) solvere solet: cujus dicti veritas plurimis jam exemplis est confirmata; ita puris effluxum quidam apud Tulpium (*l. 1. c. 32.*) salutarem expertus est, cujus rei similia exempla Bartholinus (*cent. 2. hist. 79.*) & Binningerus (*cent. 4. obs. 69.*) recensent: ut autem ex puris effluxu levamen doloris sequitur, ita suppressionem eius dolor capitis insequi solet, sicuti hoc Ballonius (*.Epidem. & Ephemer. l. 2. p. 270.*) añotavit. Similiter copioso aquæ ad tactū frigidissimæ effluxu per nares, femina *Cumeni* observatione (*M. A. N. C. ann. 3. obs. 184.*) à dolore capitis fuit liberata. Sic femina apud Bonetum

nerum lachrymarum copiosa profusio certum erat remittentis doloris indicium, ut hic verus fuerit verus:

Expletur lachrymis egeriturque dolor.

Ita quoque per Hæmorrhagiam narium copiosissimam, Cephalalgiam sublatam *Binningerus* (cent. 5. obs. 26.) observavit. Nec minus salutaria sunt ulcera in capite vel cute, protrusa ad habitum corporis materia morbifica, apparentia, sicuti *Tulpius* (l. c.) per porriginem Cephalæam sublatam vidit. Bonum quoque est, si per sputa crassa, inodora, materia rejiciatur, imo per alvi fluxum supervenientem, malum è corpore eiectum esse, fuit observatum. Rarum vero est, quod tradit *Hildanus* (cent. 2. obs. 8.) quendam in capite vulneratum, remanente postea ulcere, hoc modo à Cephalæa molesta fuisse liberatum. Crisin subsequituram in febribus denotat, & quidem per vomitum, si caput doleat, tenebræ oculis obversentur, oris ventriculi morsus, cum rigore hypochondriorum, labij inferioris tremore & sputaminibus adsint; per narium vero Hæmorrhagiam futuram, si cum capitis dolore & narium pruritu, oculorum splendores observentur, significat.

~~In deterius vero rem tuere, & vita periculum minarime~~ tuendum est, si caput diu doleat & vehementer: quia nemo potest valde dolere & diu, & metus est, ne atrociores subsequantur affectus: ita si dolor à bile s. particulis volatilibus sulphureis oriatur, vigiliæ & phrenitis; si à Melancholia s. partibus fœculentis, Tartareis, crassis, Mania; si vero à sanguine vel pituita, Apoplexia tandem supervenire potest. Malum quoque si generosissimis adhibitis remedijs, quæ alios sæpe juvare visa sunt, dolor nihilominus perseveret; aut si dolor antea fortis, subito evanescat, nulla præcedente critica per loca convenientia evacuatione; gangrænam enim jam cerebrum & meninges occupasse denotat; si extrema corporis frigeant, in vehementi dolore: quia metus est, ne internarum partium inflammatio adsit. Præavum signum est, & convulsionem minatur, si, (v. *Hippocr.* l. 1. pr. §. 120.) vesica cum capitis dolore sit intercepta, ob funestam seri ad cerebrum anadromen, hoc enim

enim nervorum principium inundante, & sua acredine vellitante, necessario convulsiones, mortis prodromi, subsequuntur. In febris acuta, si caput vehementer doleat, & urinæ crudæ appareant, deliria & convulsiones quoque portendit. Epilepsia quandoque insequitur (*v. River. Cent. 1. obs. 37.*) imo etiam Apoplexia, (*v. Rolinc. d. dol. cap. p. 127.*) quam imminetem juxta Hippocratem (*coac.*) capitis dolores & sonitus aurium sine febre, vel vertigo, vel surditas, vel manuum torpor portendere solet. Qui sani repente capitis doloribus teutantur, & statim muti fiunt ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit, secundum *aph. 51. sect. 6.* quem aphorism-Prosper Martianus ad Apoplexiam restringit, & in *com. ad l. 2. d. morb. sect. 1. p. 170.* eleganter modum explicat: ejus ulterior expositio ex ejus comment. in *aph. 5. sect. 5.* peti potest. Pessimum signum est, si à morbo quodam inferiorum partium convalescentem vehemens capitis dolor corripiat: timendum enim, ne materia morbifica ab alijs partibus, ad nobilissimam hanc partem delata, abscessus in cerebro generetur; cum secundum Hippocratem (*4. aph 32.*) iis quibus ex morbo aliquo surgentibus aliquid dolet, ibi abscessus fieri solet.

Hiscæ ordine jam subjungenda esset Cephalalgia Curatio, & quibus remedijs, ex triplici auxiliorum fonte, Diætetico nempe, Chirurgico & Pharmaceutico, petitis, infestus hostis debellari & expelli possit, enarrandum; verum cum ea aliquot pagellis includi non adeo facile possit, ne Lectoris Benevoli patientia abutar, & disputatio præsens in nimiam molem excreseat, hic subsisto, Curationem integram, alio tempore in peculiari quadam disputatione, si Deus vitam & vires concesserit, propositurus. Interim Supremo

Numini pro concessa hætenus
gratia sit

Laus Honor & Gloria.

*Ad Præcellentem DN. RESPON-
DENTEM.*

MOrborum caput est capitis dolor, ille quis, unde,
Quid ferat, & quæ sit tuta medela malo;
Dum thesibus docte profers, summum caput ipse,
Quod Medicina tenet, TE didicisse probas.
Cætera sed TIBI nec desunt; hinc TE ergo manebit,
Quæ doctum cinget, docta corona, caput.

*Gratulabundus
scr.*

Jo. Valentinus Scheid
Med. D. & P.P.

Loquere ut te videam!

WEr diß was Er erlernt / auch andern kan erweisen /
Und seine Wissenschaft der klugen Welt bezeigt /
Der ist insonderheit recht billich hoch zupreissen /
So daß sein Tugendt-Lob biß an die Wolcken steigt.
Drum sucht Herz Henninger an jetzt auch darzulegen
Was Er durch seinen Fleiß vor Wissenschaft erlangt!
Ich wünsche meines Orts des Höchsten reichen Seegen /
Biß daß Er endlich lang in Doctor-Würden prangt.

Mit

Diesem geringfügigen hat seine
Schuldigkeit in ehl bezeugen sollen

Benedictus Groß Not: Publ:
Nobi-

Nobilissimo Dno Henningero.

Quis neget ex studiis ortum hunc Tibi, Amice, dolo-
rem?

Inservire quibus nocte dieque soles.
Perfer & obdura, dolor hic Tibi proderit olim,
Quum capies studiis præmia digna Tuis.

Amico optimo bene ominatus appos.

Joh. Jacob. Mosseder, Argent.
Medic. Stud.

Quanto sis studio, Doctorum castra secutus
Hactenus, id docet exemplum solenne quod edis,
Ingenij dotes ostendis, dulcis AMICE,
Cunctis, gratulor ex animo: TUA cœpta JHOVA
PROSPERET, atque, precor, Tua crescat Fama Salusque,
Præmia quo tandem maneant sic digna labore.

*Nobil. ac Præst. Dno Resp. Amico suo per charo
in amicitia pignus hæcce apposuit*

Johannes Heckheler. Med. Cult.

Sedulitate Tua profers specimen studiorum,
Ostendens capitis, qui gravis, unde dolor.
Sic studiis insiste Tuis, & sponte sequentur
Virtutis celebris præmia digna Tuæ.


Boni ominis ergo Amico suo integerrimo scrib.

J. A. Ott. LL. St.

Quam videam cathedram Te scandere, Amice perite,
Gratulor, oroque eas, victor abire potes.

Honoris & amoris ergo scr. Domino Disput.

Bened. Renz. Med. Cultor.




Strasbourg, med. Diss.; 10. Haan-Hesse



7
Sb.

WDA





Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA,
De
CEPHALALGIA,

Quam
Divina Favente Gratia

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi,
atq; Excellentissimi*

DN. MARCI MAPPI,

Phil. & Med. Doct. Pathol. & Botan. Profefs. Publ.

Facultat. Med. Senioris Spectatissimi, Inclytæ

hujus Reipubl. Archiatri felicissimi,

Solenni Eruditorum examini submittit

Ejusdem Autor

JOHANNES SIGISMUNDUS HENNINGER

Durlacensis.

Ad diem 26 Mens. April M. DC. XCI.

Horis Locoq; Consuetis.

ARGENTORATI,
Sub prælo JOHANNIS PASTORII.